

COETUS STUDII "DE LAICIS"

(Textus discussi et approbati in adunationibus habitis  
a die 28 novembris ad diem 3 decembris anni 1966)

(De notione laicorum)

Canon

"In canonibus huius Codicis, nomine laicorum intelleguntur omnes Christifideles qui non sunt, ordine sacro recepto, ad ministerium divinum deputati, nec in Instituto ab Ecclesia sancto statum religiosum assumpserunt. Qui Christifideles, sive viri sive mulieres, a Deo vocantur ut suo modo, etiam eisdem canonibus determinando, debita cum sacris Pastoribus relatione servata, apostolatam in saeculo exercent, speciatim in rebus temporalibus gerendis Christi testimonium reddentes!"

(Cfr. Const. Lumen gentium, n. 31; Decr. Apostolicam actuositatem, n. 2, in fine et n. 7, in fine; Const. Gaudium et spes, n. 43).

iuribus et obligationibus laicorum

(De oboedientia ad sacros Pastores)

Canon

"Laici, sicut omnes christifideles, illa quae sacri Pastores tanquam magistri et rectores in Ecclesia docent et statuunt, christiana oboedientia responsabili et voluntaria sectari tenentur."

(Cfr. Const. Lumen gentium, n. 37; Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 9, in fine).

(De iusta libertate in rebus civitatis terrena)

Canon

"Ius est laicis ut ipsis agnoscatam ea in rebus civitatis terrena libertas quae omnibus competit, iuxta legem divina ab

Ecclesiae magisterio declaratam."

(Cfr. Const. Lumen gentium, n. 37; Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 9; Decr. Apostolicam actuositatem, n. 24; Const. Gaudium et spes, n. 43).

De iure ad bona spiritualia)

Canon

"Laici, sicut omnes christifideles, ius habent ex spiritualibus Ecclesiae bonis, verbi Dei praesertim et Sacramentorum adiumenta a sacris ministris accipiendi iuxta sacrorum canonum praescripta."

(Cfr. Const. Lumen gentium, n. 37; Const. Sacrosanctum Concilium, n. 19; Decr. Presbyterorum Ordinis, n. 9; C.I.C., can. 682).

Laicorum cooperatio in operibus Ecclesiae)

Canon

"& 1. Laici sciant sua esse Ecclesiae opera, ideoque eadem precibus et sacrificiis, atque pro propria idoneitate inceptis quoque apostolicis sustineant.

& 2. Officio tenentur, ratione habita uniuscuiusque facultatum et status familiae, curandi ut Ecclesiae praesto sint ea quae ad cultum divinum, ad honestam clericorum aliorumque ministrorum sustentationem vel remunerationem et ad alios fines eidem proprios necessaria sunt media."

(Cfr. Decr. Ad gentes, n. 36; Decr. Presbyterorum Ordinis, nn. 20 et 21; Decr. Apostolicam actuositatem, n. 21; C.I.C., can. 1496).

De obligatione et iure cognoscendi doctrinam christianam)

Canon

"& 1. Laici, quippe qui omnes ad incrementum Regni Christi in mundo cooperari debeant, ut doctrinam a Christo revelatam et

ab Ecclesia declaratam et ipsi enuntiare atque, si opus sit, defendere valeant, obligatione tenentur et iure gaudent ad acquirendam eiusdem doctrinae cognitionem, propriae uniuscuiusque capacitati et conditioni aptatam. Quare curare debent ut notitiam habeant doctrinae quae a Conciliis oecumenicis, a Summis Pontificibus et a propriae Ecclesiae particularis Pastoribus traditur.

& 2. Facultate gaudent ut, servatis a iure statutis, pleniorum illam in scientiis sacris acquirant cognitionem, quae in Ecclesiasticis Universitatibus facultatibusve aut in scholis scientiarum religiosarum traduntur, ibidem lectiones frequentantes et gradus academicos consequentes.

& 3. Item, servatis praescriptis quoad idoneitatem requisitam statutis, habiles sunt qui missionem docendi scientias sacras a legitima auctoritate ecclesiastica recipiant."

(Cfr. quoad par. 1: Decl. Dignitatis humanae, nn. 14, 3<sup>o</sup> et 4<sup>o</sup>; Decr. Apostolicam actuositatem, n. 29; Decr. Ad gentes, n. 26; Const. Lumen gentium, n. 35, in fine; Const. Gaudium et spes, nn. 43, 2<sup>o</sup>, in fine.—Quoad par. 2: Const. Gaudium et spes, n. 62, 7<sup>o</sup>; Decl. Gravissimum educationis, n. 10, 2<sup>o</sup>.—Quoad par. 3: Const. Gaudium et spes, n. 62, 7<sup>o</sup>; Decr. Ad gentes, n. 41, 5<sup>o</sup>).

(De laicorum iure optata sua et sententias declarandi)

#### Canon

"Laici ius habent ut necessitates et optata sua, praesertim spiritualia, libere et fidenter sacris Pastoribus patefaciant, et insuper, pro scientia et competentia quibus pollent, facultatem, immo et aliquando officium, habent, ut sententiam suam de iis quae bonum Ecclesiae respiciunt debita cum reverentia ac prudentia iisdem Pastoribus declarent, servatis modis a iure particulari statutis."

(Cfr. Const. Lumen gentium, n. 37; Decr. Presbyterorum Ordini-

nis, n. 9; Const. Gaudium et spes, n. 92, 2<sup>o</sup>; Decr. Apostolicam actuositatem, n. 6, ult.).

(Laicorum participatio in apostolatu)

Canon

"& 1. Laici, quippe qui uti omnes christifideles ad apostolatum, i.e. ad participationem missionis salvificae Ecclesiae a Deo per baptismum deputentur, generali obligatione tenentur, sive singuli sive in associationibus coniuncti, ad laborandi ut divinum salutis nuntium ab universis hominibus ubique terrarum cognoscatur et accipiatur; quae obligatio eo vel magis eos urgeat iis in adiunctis in quibus nonnisi per ipsos Evangelium audire et Christum cognoscere homines possunt.

& 2. Peculiari adstringuntur officio rerum temporalium ordinem spiritu evangelico imbuendi atque perficiendi.

& 3. Praeterea, habiles sunt qui vocentur ut diversis modis cum apostolatu Hierarchiae immediate cooperentur."

(Par. 1: cfr. Const. Lumen gentium, n. 33; Decr. Ad gentes, nn. 36, 1<sup>o</sup> et 21; Decr. Apostolicam actuositatem, nn. 2 et 3.- Par. 2: cfr. Decr. Apostolicam actuositatem, n. 3; Const. Gaudium et spes, n. 43.- Par. 3: cfr. Const. Lumen gentium, n. 33, 3<sup>o</sup>; Decr. Apostolicam actuositatem, nn. 10 et 24, 6<sup>o</sup>).

(Laicorum cooperatio cum sacris Pastoribus)

Canon

"& 1. Laici, debita scientia, experientia et virtute praestantes, habiles sunt qui tamquam periti aut consiliarii ab Ecclesiae Pastoribus audiantur.

& 2. Habiles etiam sunt ut ad quaedam munera ecclesiastica a sacris Pastoribus adsumantur, in specie ut in consiliis provincialibus, dioecesanis, nationalibus, regionalibus aut universalibus partem habeant, ad normam iuris universalis aut particu-

Paris."

(Par. 1: cfr. Const. Lumen gentium, n. 33. - Par. 2: cfr. Const. Lumen gentium, n. 33, 3<sup>o</sup>; Decr. Christus Dominus, n. 10; Decr. Apostolicam actuositatem, n. 24, 7<sup>o</sup>).

Laicorum libertas in inquisitione scientifica)

Canon

"Laici, sicuti omnes christifideles, qui sacris disciplinis studendis incumbunt, facultate gaudent, ut debita adhibita prudentia et propriis singularum disciplinarum principiis ac methodo servatis, de quaestionibus ad scientias sacras vel cum sacris connexas pertinentibus libere inquisitionem instituant, utque conclusiones ad quas deveniunt cum sacris Pastoribus communent."

(Cfr. Const. Gaudium et spes, n. 62, ult.; Decl. Gravissimum educationis, nn. 10 et 11; Decr. Unitatis redintegratio, n. 11, 3<sup>o</sup>).

Laicorum participatio in celebrationibus liturgicis)

Canon

"& 1. Ipsius baptismatis ratione, laici, sicut omnes christifideles, officium et ius habent ut plene, conscie et actuose in celebrationibus liturgicis participent, etiam muneribus ministrantis, lectoris, commentatoris, cantoris, aliisque certis ministeriis, ad normam iuris, fungentes.

& 2. Ubi Ecclesiae necessitas aut utilitas id suadeat, possunt etiam, deficientibus sacris ministris, quaedam eorundem officia supplere, videlicet doctrinam tradere, precibus praeesse, baptismum conferre atque Sacram Communionem distribuere, iuxta iuris universalis et particularis praescripta."

(Par. 1: cfr. Const. Sacrosanctum Concilium, nn. 14, 29, 79 in fine. - Par. 2: cfr. Const. Lumen gentium, n. 35 ult., Decr. Ad gentes, n. 17 ult., Decr. Sacrosanctum Concilium, n. 35, 4<sup>o</sup>).

(De laicis speciali servitio Ecclesiae addictis)

Canon

"Laici, sive coelibes sive matrimonio iuncti qui, aut permanen-  
ter aut pro tempore speciali Ecclesiae servitio addicuntur, obliga-  
tione tenentur ut aptam acquirant formationem ad munus suum debite  
implendum requisitam, utque hoc munus conscie, impense ac diligenter  
adimpleant; ius habent ad honestam remunerationem eorum conditioni  
aptatam, qua decenter, servatis quoque iuris civilis praescriptis,  
necessitatibus propriis ac familiae providere valeant, itemque ius  
ut sui praevidentiae et praecaventiae sociali ac adistentiae sani-  
tariae quam dicunt debite provideatur."

(Cfr. Decr. Apostolicam actuositatem, n. 22; Decr. Ad  
gentes, n. 17).

Romae, die 3 decembris 1966

PATRIMONIO UC